

279 b

XVII, 295.


COMMONEFACTIO

2

HISTORICA

DE STATV EIVS TEM-
PORIS, QVOD EVANGELII
lucem præcessit, & quæ eius ini-
tia, ac qui inter varia impedimenta
& pericula eius progressus, qui item
faces dissidiorum fuerint & adhuc
sint, cui inserta est breuiter Confessio
postrema Doctoris Georgij Maio-
ris, de doctrina Iustificationis & bo-
norum operum, ab eodem recita-
ta, cùm abiret Magistratu scho-
lastico, die 18. Octob.


Anno 1567.



VVITEBERGÆ

Ex officina Iohannis Lufft.

ANNO M. D. LXVII.



...
n
fe
fa
au
m
ci
p
p
n
b
c
n
b
d
at
re
æ
m
sp
de





HTSI rectius fecissem, si
eam exactæ propemodum
ætatis partem, quæ
adhuc reliqua est, quam
ex virium indices magis
magisque deficientium imbecillitate
sentio breuem fore: Si eam ergo ocio-
sam & quietam, sine vilo aut labore
aut certamine traduxissem, procul re-
motus à strepitu communium nego-
ciorum, omnique Reipublicæ cura, &
precationi deditus ac meditationi
propinquæ mortis, præsertim cum
non solum in Republica onera gu-
bernationis, difficultates & pericula
crescant, sed Ecclesiæ etiam assidue
nouis & monstrosis vlulatus Dia-
bolorum & hæreticorum in impijs
dogmatibus concutiantur, tanto ausu
atque conatu hominum ambitione fu-
rentium, vt si ex præsentis rerum statu
æstimentur futura, necesse sit bonas
mentes, percussas vehementer hac
specie atque consternatas, magnopere
de posteritate angere: Tamen cum Col-

legæ nullam penè confectæ iam senectæ, nullam infirmitatis, quæ ante oculos est, excusationem admitterent, victus summæ erga me benevolentia testificatione, & humanissimis de consiliorum & operarum communicatione promissis, celsi decretis, quæ facta erant, & onus gubernationis suscepi.

Hoc cum me certò credam nunc postremum functum esse, venio valedicturus vobis optimi auditores, & velut nauta propemodum eluctatus ex huius vitæ tempestuosis fluctibus, ac tuto & tranquillo portui vitæ melioris propinquus, de his quæ per annos amplius quinquaginta, aliorum exemplo & mea multiplici experientia didici huic scholæ vel profuisse vel nocuisse, vos commonefacturus.

Retexam ergò paucis me ipsum, & repetam initia altius, cum remota sint plæraq; à memoria vestra, qui uel
adolescentes

adolescentes estis, vel maiores nostros non audiuitis.

Factus sum ciuis huius Academię, anno postquam instituta primũ fuit, nono. Is erat annus Christi millesimus, quingentesimus, vndecimus. Adductus sum in has terras mandato & sumptibus Illustrissimi Principis Friderici Tertij, Ducis Saxonię, Electoris, cuius memoriam monumenta sapientię in Imperio, & iacta huius Academię fundamenta, & hęc sparsa semina purioris doctrinę, posteritati ita consecrarunt, ut nomen Sapientis, quod meruit cunctorum ordinum summa approbatione, nulla sit vnquã abolitura vetustas. In huius aula planẽ puer educatus sum inter adolescentes Symphonicos.

Reperi autem in his regionibus hæc vera & solida ornamenta ac præsidia Rerumpublicarum. POLITIAM legibus honestissimis, iudicijscq; publicis ac priuatis optimo ordine constitutam, ac sanctioris seue-

A 3 rioriscq;

riorisq; discipline institutis, moribus,
studijs, exemplis adeo celebrem, vt à
priuata honestate ac humanitate sin-
gulorum, à publica grauitate, tran-
quillitate, securitate in locis omnibus,
hæ regiones sedes & officinæ iusti-
tiæ ac humanitatis esse prædicaren-
tur.

PRINCIPES reperi sapien-
tiæ, iustitiæ, æquitatis, moderationis,
togatæ bellicæq; virtutis laude cu-
mulatissimos, & opum subsidio in-
structissimos, cæterisq; in Germania
autoritate antecellentes.

NOBILITATEM certatim
vestigia suorum Principum sectan-
tem æmulo pace belloq; studio, & di-
uitijs affluentem.

ACADEMIAS artium ac
disciplinarum optimarum studijs re-
fertas, è quibus deinceps religio, hu-
manitas, eruditio, & quidquid est po-
litiors doctrinæ ortum, inq; omnem
Germaniam ceu colonijs distributum
est.

VRBES

VRBES deniq; florentes ijs re-
bus omnibus, quæ ad benè beateq;
viuendum requiruntur, & honestis
ac liberalibus exercitijs, cultu homi-
num ac munditie, elegancia victus,
commoditate ædificiorum, varietate
commerciorum, vbertate rerum fru-
endarum, omnibus deniq; humanita-
tis officijs præ reliquis in Germania
maximè commendatas.

Vnum deerat, LVX veritatis
Euangelicæ. Nam passim in Ecclesijs
profundissima caligine obrutis atq;
oppressis, sonabant pro voce Filijs Dei
somnia commentaq; humana, & pro
cultibus diuinitus mandatis regna-
bant in iisdem Idolatriæ & supersti-
tiones inuectæ Monachorum impo-
sturis, & Romani Pontificis Tyran-
nide comprobata atq; stabilitæ.

Sed ne quid his terris ad veram
perfectamq; beatitudinem deesset,
non ita multo post Deus immensa
bonitate accendit lucem doctrinæ suæ
in Ecclesijs harum terrarum, cuius

primum iubar ex hac schola effulsit, anno postquam huc veni sexto, Reuerendo Patre nostro, sanctæ memoriæ, Doctore Martino Luthero, ex Propheticis & Apostolicis scriptis, rationibus planè inuictis efficacissimè conuellente & eneruante commentitiam atq; anilibus fabulis inaniorum vim venalium Indulgentiarum.

Hanc lucem auxilio ductuq; Spiritus sancti cum ipso Luthero deinceps paulatim auxerunt ij, quos ei socios Deus atq; Parastatas adiunxit, & singularibus donis ad hunc vsum exornauit, ac præ reliquis Melanthon, cuius scripta confusas initiò adhuc & nouitate obscuras, & propter Scholasticorum Labyrinthos, qui extricandi erant, perplexas controuersias horum temporum, tanta dexterritate ac perspicuitate explicarunt atq; illustrarunt, vt Lutheri testimonio de postrema editione Locorum Theologicorum, quod multi meminimus

nimus

nimus testes ἀξιόπιστοι, nullus inde usq;
ab Ecclesia Apostolorum liber illo
exierit melior & magis necessarius.

Gratulabar hanc mihi foelicitatem
initio, quod versari ac viuere in-
ter homines harum regionum mihi
contigisset. Sed patefacta deinceps
luce coelestis doctrinae, cum iam aetas
ac iudicium maturuissent, multo ma-
gis laetabar de ostensis, imo oblati-
s occasionibus perueniendi ad Acade-
miam hanc, in qua cum renascente
luce Euangelij, simul efflorescebant
studia Philosophiae sincerioris, Me-
lanthone artes illas repurgante & ur-
gente. Nec desinebam ardentibus vo-
tis à Deo precari, hæ mihi ne occasio-
nes eriperentur aut perirent.

Fecit me votorum compotem cle-
mentissimus Deus, Pater æternus
Domini nostri Iesu Christi, cui pro
hoc ingenti beneficio gratias agam in
omni æternitate. Etenim non solum,
vt cõmunes omnibus oportunitates

A S discendi

discendi in Academia adipiscerer,
effecit, sed in notitiam me etiam ad-
duxit, ac familiaritatem interiorem
eorum, quorum opera & ministerio
doctrina Ecclesiae emendabatur, &
studia meliora ac rectiora instaura-
bantur, quod ego in praecipua parte
meae foelicitatis pono.

Cum utroque enim, Luthero &
Melanthere, ut familiariter versarer,
ut quoties vellem utrumque adirem, &
quae opus erant interrogarem, ut pri-
uatim inter se conferentes de praeci-
pui doctrinae controuersae capitibus
audirem, ut iudicia cognoscerem eo-
rum de rebus maximis, denique ut ab
utroque diligerer, ornarer & adiuua-
rer, Dei singulari beneficio conseque-
bar, quamprimum in Academia eis
innotuissem.

Ac mihi quidem vicissim id in
omni vita propositum fuit, ut doctri-
nae fundamenta, fontibus introspe-
ctis, recte & integre cognoscerem,
perceptasque his doctoribus veras sen-
tentias,

tentias, firmiter atq; constanter vt retinerem, & vestigijs eorundem religiosè vt insisterem. Sed de me postea dicam. Ad publica redeo.

Lux Euangelij ab initijs, vt tum multis videbatur, exorsa tenuibus, paulatim ex conflictu disputationum magis magisque inclarescebat, Luthero aduersariorum, partim ridiculis ac penè iocularibus scriptis prouocato, partim minacibus atq; cruentis decretis protracto adactoque ad certamina scriptionum, quæ, si illi quieuisent, fuisset abrupturus. Et prorsus hoc accidebat, vt & causæ, quam tuebatur, firmitate ac robore, & enerui futilitate apparatus contrarij vinceret, cum leuitas vanitasq; argumentorum, quibus hunc aduersarij sese confixuros credebant, vel mediocriter intelligentum iudicio, semetipsam redargueret & elideret.

Hæc certamina tum huic scholæ conflabant odia, & attrahebant pericula ingentia, conspirantibus in caput nostrum

nostrum atq; perniciem, non tantum plurimis ac diuersis satellitij Pontificij cohortibus e Sacrificulorum ac Monachorum latebris, sed & Monarchis summis ac principibus precipuis orbis Christiani, qui mutationem in perantiqua religione fieri nullam volebant, nec fieri posse prospiciebant, quin & ordini religioso & Imperio inclinationem adferret. Idcirco hi & insidias experiebantur, & minitabantur vim manifestam. Illi cum insulsæ stolidæq; Sophistices resectas iam toti orbi præstigias, frustra se ad mouere oppugnandæ veritati cernebant, exasperabant odia potentum, & ad iniustam sæuitiam quamprimùm vsurpandam hos incitabant vel aperto bello, vel crudelitate suppliciorum.

Inter hæc pericula Deo mirificè hæc misera & tot hostilibus grauata odijs, tot circumfessa insidijs Myrmecia tegente, magis efferebat sese nomen huius scholæ, ceu insurgente ipsa

ipsa aduersum molem periculorum,
& amplificabatur ac dilatabatur Ec-
clesia, accedentibus quotidie ad no-
stra agmina reliquis Germaniæ po-
pulis, quas claritas & euidentia pro-
latae in medium lucis, refragari diu-
tius agnitæ veritati non sinebat.

In vnam autem hanc curam co-
gitationemq; acerrimo studio incum-
bebant cum Luthero Parastatæ fide-
les omnes, vt, tenebris Pontificiæ su-
perstitionis discussis, & subtilioris
veneni erroribus dextrè refutatis, re-
ctè explicarentur controuersa dog-
mata, deq; his vna perspicua, certa
atq; Prophetis & Apostolicis scri-
ptis, probatisq; Symbolis consentiens
doctrinæ norma, ad posteros trans-
mitteretur. Id tandem effectum est
in Comitibus Augustanis, anni mil-
lesimi, quingentesimi, tricesimi.

Hanc doctrinæ normam tunc
Spiritu sancto dictante à Melanthere
per-

perscriptam, & Carolo V. Imperatori recitatam, Ecclesiæ nostræ semel amplexæ atq; professæ, ea constantia deinceps retinuerunt, vt in nulla eam parte mutari passæ sint. Sed concisius ac breuius in eo scripto expositam, Lutherus ipse & Melanthon pluribus scriptis fufius tractarunt, & testimonijs validissimis roboratam, & contra insultus atq; impetus aduersantis veritati Sophisticæ defensam, sicut scripta horum posteriora testantur.

Nam cum nostris sese ornare penis aduersarij, & de absurditate admoniti suos errores concinnioribus coloribus pingere consuescerent, cogitandum erat his Agonothetis, ad quos respiciebant vniuersi, quibus remedijs aspersi recens fuci detergerentur. Et vt fit, dies diem docebat, cum in certaminibus quotidianis, & vera lucta conscientiarum multa assidue discerent & experirentur.

Etsi

Etsi autem aduersarij Pōtificij nun-
quàm destiterunt & hanc scholam, &
huic vnius doctrine professione con-
iunctas Ecclesias alias, modis omni-
bus persequi & oppugnare, & pro-
dierunt ex hoc cœtu Apostatę, trans-
fugę, V Vicelius, Tammerus & alij,
qui aduersarijs linguam venalem ad
conuiciandum nobis accommoda-
runt: Tanta tamen fuit inter docentes
consensio atq; coniunctio, vt frustra
tentata hæc sint, suoq; exoluta impetu
euanuerint. Ita factum, vt nexu con-
cordiæ fulta norma doctrinæ, persti-
terit immota, manseritq; inconcussa
autoritas scholæ aduersus ictus om-
nes, vndecunq; intentarentur, Luthe-
ro anteeunte cœteros, & cuncta vel
moderante vel propulsante ea autori-
tate, qua circumdatus erat diuini-
tüs: Melanthonē dogmata intra Me-
thodij limites reuocante, & assiduis
scriptionum ac disputationum operis
exercente, usq; ad fatalem Ecclesijs
nostris

nostris Lutheri migrationem ex hac
vita, & mox hanc consecutum bel-
lum Germanicum.

Cum Luthero enim extincto die
Concordiæ, simul expirauit & inter
homines esse desijt Cōcordia. In Do-
ctoribus nostris commouere sese, &
in scholis atq; Ecclesijs tumultuari ac
furere cepit, quam eo usq; Lutherus
represserat, **SUPERBIA**, quæ cum
semper funesta fuerit & exitialis Ec-
clesiæ, tum hoc tempore id prorsus ef-
fecit, quod Lutherum sæpe prædicere
meminimus, conuerso ad Melantho-
nem sermone his uerbis: Ambitioso-
rum hominum furiosi clamores nati
ex cœca gloriæ regniq; in Ecclesia cu-
piditate, vno mense plus turbabunt
& destruent, quàm toto tu & ego de-
cennio multo sudore construximus.

Sed ambitioni ac licentiæ Theo-
logorum occasionem attulit & quasi
fenestram aperuit terribile bellum,
quod Imperatorem victorem ex in-
speratis

ſperatis ſucceſſibus in nouas ſpes ere-
ctum, & fiducia quaſi confirmatę po-
tentię & autoritatis animatum, ad
experiundas nouas componendę re-
ligionis rationes impulit. Hęc cum
minimę ex ſententia cederent, Ger-
maniam multis in locis horribiliter
perturbarunt. Sed de alijs non di-
cam. Noſtra perſequar.

In his actionibus eo tempore
Inclytus Princeps Mauritius, Dux
Saxonię, Elector, primus à bello co-
rã in Comitijs Auguſtanis & abſens
ſeſe Imperatori proponenti nouam
conciſiatę religionis formam, edo-
ctus & confirmatus à Melanthonē &
alijs, quę à quibus extiterit autori-
bus, nunc commemorare ſuperſedeo,
acriter & animoſę oppoſuit. Id me
verę affirmare autographa teſtantur,
quę extant, & norunt idem multi
eius rei conſcijs, interq; hos nonnulli,
qui exemplum imitati ac formam re-
cuſationis ab eo ſunt mutuati.

B Domum

Domum à Comitibus reuerſum cùm
urgere victor non deſineret hoc ar-
gumento, quòd liber ab aliquibus è
numero Principum ſentientium no-
biſcum cenſeretur profuturus eſſe
publicæ paci: Sed in recuſatione pri-
ma ipſe cùm perſeueraret, ad ea tamen
præſtanda ſeſe offerret, quæ ſalua ve-
ritate cœleſti, & ſua ſuorumq; con-
ſcientia integra & illæſa largiri in
rebus medijs poſſet, quæ fundamen-
to & mandatis diuinis minimè con-
trariæ, ritibus externis contineren-
tur, non impijs, nec profanis, & de his
orirentur deliberationes, extitit in
hac ſchola ERRO incertæ originis,
patriæ, religionis & fidei, qui ſe Fla-
cium Illyricum nominat.

Hic cùm eſſet ignarus omnium,
quæ fierent, ſumpta tamen occasione
cùm ex mutationibus, quas inter Im-
perij ordines ac Principes bellum pe-
pererat, tum ex ijs, quas dixi, delibe-
rationibus, cepit primus, virus du-
dum conceptum ſecum atq; coctum,
in

in scholam hanc, in præcipuos huius
Doctores, in Ecclesias harum regio-
num, in Principes ipsos euomere, &
corrofa atq; exesa viperino morfu
aluo matris sue, cōsensum harum Ec-
clesiarum dissoluere, sparsis somnijs,
fabellis, rumusculis initiò, mox uerò
& calumnijs ac mendatijs manifestis,
& mirabili hypocrisi fascinatis & oc-
cupatis imperitorum animis, apud
quos simulatis gemitibus singularem
zelum iactitabat, & quoddam cum
Deo præ se ferebat commercium fa-
miliarius Enthusiasticis raptibus ex-
tra sese.

His cùm multorum animos ab
hac Academia alienasset, & sese fa-
ctioso satellitio muniuisset, progredi
longius, & dogmata aggredi cepit.

Vt ergò prorsus labefactaret au-
toritatem Academiæ, quam ob-
stare suis conatibus uidebat, & iudi-
cia ex Ecclesia tolleret, quæ penes
Academias erant, quæ fierent & do-
cerentur in Academijs harum regio-

num, suspecta reddebat, & fidem au-
toritatemque veteribus ac recentibus
scriptis derogando, id agebat, ut ea
prorsus e manibus hominum excute-
ret. Id enim si perfecisset, se in Eccle-
sia seditionibus fluctuante, facile do-
minatu appetito potiturum prospici-
ebat, praesertim cum novorum ma-
nipularium accursu quotidie augere-
tur, ut fit in dissidijs publicis dog-
matum & seditionibus, in quibus
quo quisque est audatior & confiden-
tior, eo citius crescit & euehitur al-
tius, ut dicitur veteri versu: Ἐν δὲ δίχοις
σαοίη καὶ πᾶν κἀκὸς ἔμμορε ἡμῶν.

Successit res alicubi. Nullam ipse
penè & manipulares eius doctrinae
partem intactam reliquerunt & in-
corruptam, quod scripta ostendunt.
Si qua supersunt, ea, ne quid certi po-
steritas habeat, arrodere atque conuel-
lere pergunt assidue. Et hos furores
omnes venditant populo, titulo &
praetextu nominis Lutheri, horribi-
liter saeuientes in mortui famam atque
existima-

existimationem summo cum discrimine Ecclesiarum, quæ hæc vulnera tum demum frustra sentient & deplorabunt, cum remedijs locus non erit, inter fluctus incertissimarum opinionum, & extremæ prophanitatis procellas, quæ magno cum impetu passim irruunt, impulsæ tristissimis istarum furiarum ululatibus.

Notum est enim, quæ portenta opinionum inuehant in Ecclesiam de Filio Dei, de Prædestinatione, de Peccato, de Lege, de Euangelio, de Iustitia fidei, de noua obedientia in renatis. Denicq; deueniunt res eò, vt inter illos præclaros Aristarchos nostræ religionis, suo quisq; loco Lutherum se esse somniet, arroget sibi potestatem Prætoriam in suas & alienas Ecclesias, sua sibi cudat dogmata, semelq; promulgata pertinaciter defendat, damnet & execretur aduersantes, addat sæuitiam & crudelitatem, zeli nomine & specie vestitam, cuius rei atrocitas & tristitia exempla

B 3 sub

sub Flacio vidit hæc ætas. Experiuntur idem boni omnes in Ecclesijs, in quibus hoc genus hominum regnat.

Sed interea quid fit? Dum hæc feralium discordiarum faces & Erinnyes immanitatem conceptorum aduersus nos odiorum explent, calumnijs doctrinæ & vitæ innocentum hominum, mendacibus figmentis, debachationibus assiduis in quosuis, summos infimosq; , imbecilliores multis in locis his furoribus turbati & languefacti, deficiunt ab agnita veritate, & redeunt ad Romanæ Ecclesiæ ludibria, ceu canis ad vomitum. Alij prophanitatem induunt & contemptum omnis religionis. Alij ad dubitationes adiguntur, vnde ruunt in desperationem.

Aduersarij verò, qui exarmati prorsus ante has Flacianorum molitiones hiscere nec poterant nec audebant, nouo armorum genere ab his instructi, & nouum pugnæ genus edocti, nunc ita recipiunt spiritus, vt
gladios

gladios calamosq; multò quàm antè
hostilius in nos acuant, & seuius mul-
tò quàm vnquàm in nos incumbant.
Quàm sceleratè Flacij artibus in col-
loquio proximo VVormaciensi certa
explorataq; victoria nostris è mani-
bus erepta sit; quibus eius consilijs
cohorti Pontificiæ & gladius sit in
manus traditus, quo nos feriret, & ra-
tio ferendi demonstrata, nemo igno-
rat. De his ergò trophæis, de labefa-
ctatis & calumniosè deprauatis capi-
tibus præcipuis doctrinæ in nostris
Ecclesijs, de inuectis monstrosis er-
roribus, de sublatis prorsus iudicijs,
de dirempto consensu, de conuulsa
autoritate Academiæ, de concul-
tatis benè meritis, de flagrante im-
manibus dissidijs & odijs magna
parte Ecclesiarum, de noua conspira-
tione aduersus nos & sæuitia noua
Pontificiorum, de his ergò glorian-
tur & triumphant Flaciani.

Hæc sunt trophæa victoriarum,
quibus cum discrimine & interitu

B 4 multo-

multorum piorum hominum, & nonnullorum etiam pernicie æterna, famam nominis sui dilatarunt.

Sed Melanthonem sibi euertendum præ alijs delegerat Flacius, cui ne cederet Staphylus, eodem quo Flacius modo ex discipulo factus Apostata, desertor & transfuga, sumpta occasione ex dissidijs, quæ Flacij artificijs accensa indies gliscebant magis magisque atque ingrauescebant, & eiusdem successibus animatus, caput petere, & in Lutherum inuehi cepit, excerptis ex eius scriptis, quæ calumniosè exagigaret, & quibus ad euertendam ac proijciendam omnem Lutheri auctoritatem vteretur.

Hos duos habuit Schola nostra hostes perniciosissimos & virulentissimos, qui egressi ex nobis, cum non fuerint ex nobis, sceleratis consilijs, & artibus planè Sinonij clades Ecclesijs irrecuperabiles intulerunt, & vulnera inflixerunt immedicabilia, quæ

quæ nulla hominum memoria sanabuntur.

Sed minus damni dedit Staphylus, etsi huius rationibus magnopere nititur & confidit tota cohors miserorum Iesuitarum, fundamento insistens mendaciorum, calumniarum, & suæ falsæ, impiæ ac blasphemæ doctrinæ, quam tuetur.

Plus nocuit virus Flacianum, quod blandiore prætextu & specie in initio cum in animos hominum irrepsisset, insedit altius, & adhæsit pertinacius, sed cum simili mendaciorum, calumniarum, & impiæ falsæque doctrinæ fundamento incumbat, refutabitur tandem iusto Dei iudicio, sicut refutatos legimus Iudæos, Arianos, Manichæos & similes.

Et consistet Schola nostra ac flo-
e bit, Deo benedicente laboribus nostris, in fideli ac sedula propagatione eius doctrinæ, quam quasi per manus acceptam ab his duobus doctoribus

B s puram

puram & incorruptam semper cōser-
uauimus. Atq; eo ipso, quòd & custos
manebit sancti depositi, & nullis vel
calumniarum vel bellorum procellis
opprimi ac deleri poterit, sicut hactē-
nus hostiles conatus omnium irriti
fuerunt & eruperunt in nihilum, Eo
ipso ergò deinceps etiam & sese tue-
bitur, & redarguet atq; reuellet ini-
micorum machinationes.

Hæc de genere postquàm præ-
misi, de me etiam quædam subiñciam,
cùm Flacius & manipulares eius in
me quoq; immitibus & implacabili-
bus odijs mordicis incurrerint, &
nomen meum lacerarint iniustissimè
& crudelissimè. Meam ergò contra
calumnias eorum nunc postremam
edam confessionem, Deo & vobis
omnibus testibus.

Testor ergò Deum æternum Pa-
trem Domini nostri Iesu Christi, con-
ditorem cœli & terræ, & Ecclesiæ
sue, Angelicæ & humanæ, me con-
stanter amplexum, esse & amplecti
scripta

scripta Prophetica & Apostolica &
Symbola, quibus cum verè sentio
congruere confessionem nostrarum
Ecclesiarum, Augustæ Carolo Im-
peratori propositam, & deinde repe-
titam, vt exhiberetur Synodo Tri-
dentinæ, & in refutatione articulo-
rum impiæ inquisitionis Bauaricæ.
Testor me in omnibus articulis sen-
tire idem cum nostris Ecclesijs, id est,
cum Ecclesijs harum regionum, quæ
à norma doctrinæ suæ nunquàm dis-
cesserunt, nihil in ea mutarunt, nullas
nouas confessiones, aut noua dogma-
ta condiderunt: Et detestari ac dam-
nare me toto pectore errores omnes
& opiniones fanaticas, reiectas ab
Ecclesia Christi Catholica, & ab his
scriptis, quæ nominavi, discrepantes.
Nec discessi vnquàm, nec Deo iuan-
te discedam ab agnita semel verita-
te.

Cumq; de necessitate operum in-
venatis me Flaciana cohors atrociter
accusarit, & Diabolicè exagitarit, ac
tribuerit

tribuerit mihi, quòd docuerim: Opera necessaria esse ad salutem, hoc sensu, quòd secundum Origenicam & Papisticam Synecdochen, opera cum fide mereantur remissionem peccatorum, & sint causa Iustificationis coram Deo, affirmo coram Deo, quòd summam mihi faciant & fecerint iniuriam, de qua responsuri mihi sunt ante tribunal Filij Dei, ad quem consistens in extremo vltimæ senectæ limine tanquàm ad iustissimum iudicem & καρδιογνώστην, introsipientem penitus abditos recessus animorum, prouoco.

Nunquàm hoc sensi nec docui, Opera esse aliquam causam Iustificationis, sed cum perpetuo consensu scripture & Catholicę Ecclesię Christi sensi & docui, totum beneficium redemptionis & saluationis nostrę gratuitum esse, & deberi misericordiæ Dei, & merito solius Filij Dei, vnici Saluatoris nostri Iesu Christi, ac Fide sola accipi.

Hac

Hac propositione verò: Opera sunt necessaria ad salutem, cùm propter ambiguitatem offenderit aliquos, testatus sum disertè, me non vsurum esse deinceps.

In hac confessione constitutus ut dixi, penè in ipso limine sepulchri, Deo adiuuante perseuerabo & moriar, & cum hac conscientia accedam ad Tribunal Filiij Dei, qui cùm sit cõscijs omnium cogitationum mearum & actionum, scit nunquàm me quidquam honori suo & beneficijs detraxisse, sed impiè & falsò mihi hoc tributum esse ab hostibus huius Academiae, Apostatis & desertoribus, quos non dubito iustissimo Dei iudicio pœnas suę virulentiaë & immanitatis daturus esse, nisi resipuerint.

Quo enim spiritu rapiantur & agitentur, satis ostendunt impudentia mendaciorum, & sæuitia consiliorum, quorum se non socios tantùm & ministros, sed autores præbent ac
duces

duces ihs in locis, in quibus domi-
nantur.

Certissima sunt enim Diabolici
Spiritus argumenta, Mendacia &
homicidia. His iam illi multos annos
ad eum grassantur modum, vt non
solos nos furenter incessant, sed ne
quidem parcant optimis & præcla-
rissimè de Ecclesia merentibus Prin-
cipibus, in quos venenatè agnatos
Principes, sediciosè subditos, rabiose
exteros homines concitant, sparsis
impudētissimis fabellis, quas et si res
ipsa certissimis & evidentissimis do-
cumentis quotidie refutat, tandem
tamen, ut dixi, iusto iudicio refutatu-
rus est Filius Dei, custos Ecclesiæ suæ.
Mendacia enim & vindicant & ex-
tinguunt semetipsa.

Hæc ex historia huius Academię
paulò altius repetita, vestra causa
Scholastici recitavi, quos huius meæ
confessionis testes relinquo posteri-
tati.

Nunc

Nunc' obtestationem vestri ad-
dam, quam profectam à sene & huius
Scholæ atq; Ecclesiæ amantissimo, &
prospiciente euentum harum confu-
sionum, deq; posteritate eam ob cau-
sam admodum sollicito, existimabitis
esse vocem non hominis, sed Spiritus
sancti.

Res ostendit, eius nos doctrinæ
custodes esse & mansisse, quam Lu-
therus & Melanthon, Spiritu sancto
Duce & interprete, collatis sententijs
& coniunctis operis, ex Prophetiis
& Apostolicis scriptis restitutam no-
bis tradiderunt, in quorum scriptis,
inde usq; à tempore Confessionis
Augustanæ, nec dissonum quidquam
aut discrepans est, vel inter se vel à
fundamento, nec obscurum aut per-
plexum.

Hanc doctrinam, vt rectè disca-
tis, & consensum atq; concordiam in
ea cum hac schola, cumq; Ecclesijs ha-
rum regionum, quæ vnā omnes
doctrinæ vocem profitentur, vt con-
seruare

seruare ac tueri studeatis, quo quem-
uis loco Deus collocarit, vos oro &
obtestor.

Consensu atq; concordia hæ Ec-
clesiæ initiò effloruerunt & hæcenus
constiterunt: Concordia machinatio-
nes & insultus hostiles multiplices fa-
cilè repulerunt. Hac vigente nil vio-
lencia, nil calumniæ in nos poterunt.
Laborare enim veritas potest, oppri-
mi nõ potest. At si vt Cadmei fratres
inter nos dimicare ceperimus, diuul-
si in factiones, opinionum discre-
pantia, quod desertoribus nostræ so-
cietatis Flacianis accidit, amissa veri-
tate nos ipsos euertemus.

Non patiamini vos igitur aut ab
hac recta, vera & explicata semita ad
alias aberrantes, perplexas & confu-
sas vias abduci, aut quouis turbine
nouarum opinionum ita percelli, vt
de hoc canone dubitetis, à quo qui-
cunq; discesserunt, ij in tetros il-
lapsi errores, & sese & alios seduxe-
runt.

Scripta

Scripta vobis etiam commendo
Lutheri et Melanthonis, in cuius vna
pagella plus piæ, vtilis & necessariæ
doctrinæ continetur, quàm in totis
voluminibus hostium nostrorum.
Nec moueamini calumnijs aut Sta-
phyli aut Flacianæ coniurationis, qui
per Lutheri & Melanthonis nomen
petunt & oppugnant nomen & glo-
riam Filij Dei, & iugulant Eccle-
siam.

Nec exempla imitemini scelera-
torum Apostatarum, qui postea-
quàm hauserunt apud nos omnium
liberalium disciplinarum fundamen-
ta, digressi à nobis, transierunt in ca-
stra hostium, alij ad Pontificios, alij ad
Flacianos, & quæ à nobis acceperunt
arma, in nos hostili rabie conuerte-
runt.

Fugite ceu pestem & Ecclesia-
rum in hac vita & animarum, illas re-
centes præstigias factiosorum homi-
num conspirationis Flacianæ, ambi-
tione furentium & odio nostri planè

C

Diabolico

Diabolico eo usque progredientium, ut
noua, his Ecclesijs ignota, absurda,
monstruosa, contraria fundamento fin-
gere non erubescant, horum & con-
fortia fugite atque consuetudinem. Et
orate Filium Dei, ut vos sancto suo
Spiritu gubernet & confirmet in vera
luce doctrinae suae, & regat vos, ut
fiatis organa salutaria animabus ve-
stris & alijs.

Deinde oro & obtestor vos, ut le-
gibus Academiae & Praeceptoribus
vestris reuerenter obtemperetis, &
omnem vitam vestram cum serua &
ardente Inuocatione Dei componatis
ad modestiam & honestatem. Quan-
tae impendeant poenae vel potius iam
vrgeant nos, cernitis. Laceratur Ec-
clesia horribiliter digladiationibus
inter se docentium, & de luce doctri-
nae manifeste periclitatur.

Alibi saeuitur supplicijs & caedi-
bus atrocissime in eos, qui Pontifi-
cias Idolatrias & superstitiones non
probant. Bellum ante fores est. Arma
multis

multis in locis expediuntur. Nos præ
cæteris & insidiæ & pericula ingentia
circumstant. Nam infestius nos odit
& atrocius oppugnat Diabolus,
quàm alios, quos distractos dissidijs
& dementatos præstigijs, ex vno er-
rore mirabilibus occasionibus pellicit
& inuoluit in alios infinitos. Penuria
frugum hoc anno enectarum tempe-
statibus, caritatem annonæ & certam
famem adfert.

Sitis ergò modesti propter Deum,
& caute, ne spontanea contumacia
aut spontè accersitis furoribus cumu-
letis pœnas publicas. Diligenter fa-
cite officium vestrum. Rectè discite
doctrinam Ecclesiæ ex scriptis Pro-
pheticis & Apostolicis, quibus ad-
dite horum Commentarios, quos ad
repurgationem & emendationem
doctrinæ Deus excitauit, instruxit &
prouexit, ad quorum monumenta
& sepulchra consistimus.

Cogitate beatas animas Lutheri
& Melanthonis, quorum exuuiæ hoc

C 2 in

in loco quiescunt, & expressæ imagines oculis vestris obuersantur, hoc à vobis petere ac postulare tanquàm sua voce è vicinis tumultis sonante.

Hanc vobis & confessionem & commonefactionem optimi auditores relinquo postremam, breui Deo adiuuante migraturus ex hac misera & ærumnosa vita ad cœlestem Ecclesiam, & auditurus in cœtu Apostolorum, Prophetarum, sanctorum Martyrum cum dulcissimis meis Patribus ac Præceptoribus, Luthero & Melanthere, coràm docentem Filium Dei, & explicantem causas rerum maximarum: Cur ita conditum sit genus humanum: Cur à lapsu per Filium redimi ac restitui oportuerit: Qualis sit illa inenarrabilis copulatio humanæ naturæ cum diuina, quæ facta est Filio λόγῳ assummente naturam humanam vnione hypostatica, & plura alia.

Nunc tibi æterne Pater Domini nostri Iesu Christi toto pectore gratias

tias ago, quod lucem doctrinae tuae
in his Scholis & Ecclesijs accendisti,
& puram huc usque lucere voluisti,
quod nos omnes per eam ad agnitio-
nem veram tui & Filij tui Iesu Christi
adduxisti, quod mirandis modis in-
ter tot pericula, insidias, calumnias,
odia & difficultates alias hanc Scho-
lam conseruasti, protexisti & pauisti, ac
repressisti Diabolos & organa eo-
rum, ne, quod saepe & multis modis
in hanc Scholam tentarunt, perficere
possent, quod Principes, quos dedisti
nobis, conuersos ad te rexisti Spiritu
sancto, ut recte intelligerent & ar-
denter amarent doctrinam tuam, ut
consilia gubernationis suae dirigerent
ad gloriam nominis tui & salutem
publicam, ut Ecclesias praecipua cura
complecterentur, Scholas officinas
pietatis, doctrinae & virtutum benigne
fouerent & instruerent, Respublicas
ornarent honestis legibus ac iudicijs,
tuerentur disciplinam ac pacem iusti-
tia & seueritate.

C 3

Tibi

Tibi æterne, misericors, propitie Pa-
ter commendo per & propter Filium
tuum doctrinam tuam, Ecclesiam,
Scholam hanc, & nutritorem Eccle-
siæ tuæ in his terris, optimum Prin-
cipem nostrum, Electorem Saxonix,
Augustum, ac totam eius posteritatē:
Tecum oro, ne sinas lucem doctrinæ tuæ
nobis eripi, sed colligas tibi inter nos
æternam Ecclesiam voce & ministe-
rio Euangelij tui, & in ea nos omnes
comprehensos alis tuis, rege Spiritu
sancto tuo, protege, fove, serua, vt
plantemus cœlos in hac vita, & in
omni æternitate cum tota Eccle-
sia cœlesti te celebremus,

Amen, Amen,

Amen.



2/3 3490


ULB Halle


3

003 012 972



mc





2

COMMONEFACTIO
HISTORICA
 DE STATV EIVS TEM-
 PORIS, QVOD EVANGELII
 lucem præcessit, & quæ eius ini-
 tia, ac qui inter varia impedimenta
 & pericula eius progressus, qui item
 faces dissidiorum fuerint & adhuc
 sint, cui inserta est breuiter Confessio
 postrema Doctoris Georgij Maio-
 ris, de doctrina Iustificacionis & bo-
 norum operum, ab eodem recita-
 ta, cùm abiret Magistratu scho-
 lastico, die 18. Octob.
 Anno 1567.



VVITEBERGÆ
Ex officina Iohannis Lufft.
 ANNO M, D, LXVII.

